



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

5 De remediis contra causas externas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

Remedia contra causas externas
Distractionum.

CAP. V.

CONTRA Distractiones à demone pro-
fectas, optimum remedium est com-
mendare se Deo, & sancto angelo custodi,
cuius officium est nobis orantibus assistere.
Contra distractiones à Deo ortas reme-
dium subiicit B. Gregorius supra citatus,
dum ait: *QVIA VULT*, indicat enim nos
merito hac pœna multari, quia ultro ianuâ
parefacimus vanis multis cogitationibus.
Remedium ergo erit, in posterum illis adi-
tum præcludere. Proderit etiam, si humili-
ter lapsum tuum confiteare, ac dolens ex
animo, & contritus dicas cum Daniele *Pec-*
cauimus enim, & iniquè egimus, recedentes à
te, & deliquimus in omnibus, & præcepta non
audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus,
sicut præceperat nobis, ut bene nobis esset. O-
mnia ergo qua induxisti super nos, & uniuersa
qua fecisti nobis in vero iudicio fecisti. Hæc
sufficiant de remediis Præseruatiuis.

SUPEREST, ut remedia aliqua præ-
scribamus iam actu in oratione distractis
quæ dicuntur *Purgatiua*. *PRIMUM est,*
FF 2 *lectura*

Dan. 9.

secundum quosdam, illico relabi retro per discursus factos, donec veniatur ad locum vbi filum meditationis desertum est. Exempli causa in distractione supra dicta in verba **ECCĒ HOMO**, dicunt, vbi Meditator aduerterit se distrahi, debere expendere, quomodo à modo adorationis venerit ad ipsam adorationem, deinde ad Cardinales adorantes, inde ad sacellum vbi fit adoratio, hinc ad colorem purpureū, tum purpuram qua Christus amictus erat, vnde incipit distractio. Verum mihi nunquam placuit iste modus, eo quod non tam distractionem tollat, quam potius augeat, non sine iactura, si non meriti, saltem temporis. Laudo hanc diligentiam, si vsurpetur finita iam meditatione, vt exhortatur B. N. P. Ignatius in Exercitiorum libro: & ego de ea tracturus sum in tractatu de Examine conscientia.

ALTERVM est, secundum alios. illic dolere, & poenitudine duci, quod diuinam maiestatem tanta irreuerētia affecerimus. Quem modum merito reprehendit B. Ephrem in sermone de ratione rectè viuendi. & dicit id facientem, similem esse ei, qui columbam per fenestrā fuga elapsam projectione lapidum reuocare conatur, cum
potius

Tom. 1.
num. 350

potius lōgius fugetur. Proprius autem modus reuocandi illam, inquit, est, si aliquot grana frumenti iuxta fenestram spargātur, quibus ad reditum alliciatur. Hęc grana spiritalia vsurparunt varii excerpta ex passione Christi Domini. Nonnulli enim soliti sunt conficere alphabetum ex instrumentis Passionis, alii ex actionibus. Alii ex nominibus personarum præsentium.

ALII prouectiores ab ipsa distractione occasionem capiūt immediatè prosequendi meditationē. Exempli causa, ex illa distractione de Cardinali nata ex meditatione ECCE HOMO, dicunt, alloquendo Christum. Domine tu sis mihi Cardinalis, tecū mihi res est, agere volo de mea salute, & sic deinceps persequuntur meditandi cursum.

ALII deniq; contenti sunt redire ad meditationem, quotiescunque distrahantur, nulla alia consideratione habita: & sic semper faciunt. Qui modus forte est melior reliquis, quia facilius cuiq; hominum sorti, ac idcirco etiam vsitatior.

RESTAT sub finem huius capituli, mone-
re te, quamuis distractiones nonnunquam
incidant quamplurimę, non tamen idē ef-
fic aut despondēdum animum, aut nimium

Ff 3 contri-

1.2.9.39.
4.2.

contristandum, quia S. Thomas alicubi docet tristitiam immoderatam esse malam, quia transcendit regulam rationis. *Ompet inquit, passiones animi regulari debent secundum regulam rationis, quam transcendit immoderata tristitia.* Tunc autem mea opinione videtur tristitia transcendere rationem, quando vel è medio tollit, vel certe turbat consuetas hominis actiones, vti facit in presentia materia.



TRACTATUS II.
DE ARIDITATE SPI-
RITVALI.

De causis internis Ariditatis spiritualis.

CAP. I.

NOMEN ariditatis, sicut & sterilitatis ac sterilitatis, metaphoricè tribuitur Orationi, translatione sumpta ab agris, qui aridi & steriles dicuntur, quando post culturam & semen iactum, nullum tamen fructum